



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

100. Zoticvs dubius de impedimento matrimonij, & post diligentem veritatis indagacione[m] nihil reperiens bonâ fide contrahere, & debitum petere ac reddere potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

cere alicui, amputare sibi membrum, manum, vel digitum ad conseruandam vitam, & tamen illa amputatio non est per se idoneum & ordinatum medium ad hanc conseruationem. Adhæc priuatio rationis hîc non intenditur, sed solùm permittitur, quam nemo tenetur cum tanto malo impedire; vnde etiam Iouinus non facit in hoc casu malum, vt eveniat bonum.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium; nam S. Augustinus loquitur solùm de ijs, quæ per accidens coniuncta esse solent, v. g. contemptus, aut odium virtutis &c. vt interpretatur Lessius.

C. Zoticus rem olim habens cum Verena nunc in vxorem ducere vult Verianam, de qua tamen dubitat, num in prohibito consanguinitatis gradu coniuncta sit Verenæ. Queritur. Vtrum Zoticus stante hoc dubio contrahere cum Veriana possit?

Videtur non posse. Ita Palao Tr. 1. D. 3. pun. 8. n. 10; Layman l. 1. Tr. 1. c. 5. §. 3. n. 25. & alij. Mouentur. Tum quia fauendum Sacramento Matrimonij, ne inualidè administratur. Tum quia nemo habet ius se matrimonio iungendi, nisi probando, impedimentum non adesse. Tum quia iuxta receptum principium: contractus malâ fide inicitur, possessioque inchoatur ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionemque capiendi ius habeat.

Resp.

Resp. Zoticum prædicto modo dubium, postquam adhibuit sufficientem veritatis indagacionem, posse bonâ fide contrahere, & reddere ac petere debitum. Ita Thomas Sanchez de Matr. l. 8. D. 6. n. 18. Ioan Sanchez D. 43. *selectar. n. 44.* Arriaga Tom. 1. in primam secundam. D. 25. n. 33. & alij. Ratio desumitur ex receptissima illa regula juris 65. in 6. *quod melior sit conditio possidentis*, & tali possessione dubitans priuari non debeat, quamdiu contrarium non probatur; nemo quippe absque certo iure spoliandus est possessione suâ. Confirmatur ex *cap. laudabili. & cap. fin. de frigidis.* vbi statuitur, dubium de potentia naturali ad actum conjugalem non teneri ad tutiorem partem, seu abstinentiam à Matrimonio; quia scilicet habet ius ad contrahendum, & in dubio stat pro ipso possessio. Ergo similiter Zoticus stante dubio potest contrahere, cum itidem habeat ius ad contrahendum, & possessio eidem faueat.

Ad 1. in contrarium negamus, aliquid fieri contra reuerentiam Sacramenti, quia in hoc casu Zoticus prudenter operatur. *Ad 2.* Dicimus, Zoticum habere ius ad contrahendum resultans in ipso ratione dubij & libertatis possessæ, ita vt probare amplius non teneatur, impedimentum non adesse. *Ad 3.* Distingui- mus, qui dubitat dubio practico, quando nulla est adhibita veritatis indagatio, nullumque

formatum prudens iudicium, concedimus:
 secus negamus; in proposito autem Zoticus
 sufficientem veritatis indagacionem adhibet,
 postquam ratione possessionis ac libertatis
 suæ iudicat, se stante hoc dubio posse contra-
 here cum Veriana. Ergo bonâ fide init
 contractum, ac Matrimonium
 inchoat.

Collegii Societat. F. et V. Paderbornæ

**Omnia ad Maiorem Dei
 Gloriam.**

1668.



IN.